

Jacob Fabricius Johannes Neucrantz

Deo Solo & unico Hygiae Parente adspirante, Autoritate & decreto Spectatissimi Senatus Medici inclutae Academiae Rostochiensis, Exercitationem Medicam De Dysenteria Privatim & populatim grassante ... Praeside ... Dn. Jacobo Fabricio ... Publico examini subiicit Johannes Neucrantz Rostochiensis Ad diem 4. Maii ...

Rostochi[i]: Pedanus, 1627

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703185>

Druck Freier  Zugang



R U. med. 1627

Jacob Fabricius, Præs.

Johannes Mücrantz, Resp.

DEO

and Ma 3835 15

Solo & unico Hygiæ Parente,
adspirante,

*Autoritate & decreto Spectatissimi Senatus Me-
dici in cluta Academia Rostochiensis,*

Exercitationem Medicam

DE

DYSENTERIA

Privatim & populatim grassante,

PRO

Summis DOCTORIS MEDICINÆ
honoribus ac privilegijs,

PRESIDE

VIRO CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DN. JACOBO FABRICIO,

Med. D. Archiatro Megap. & P. P. Collegij

Medici p. t. DECANO,

Publico examini subicit

JOHANNES NEUCRANTZ

Rostochiensis

Ad diem 4. Maij

In Auditorio Majori, horis ante &
pomeridianis.

☉ (·) ☽

ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani Typog. Acad. Anno 1627.

R. 4. med. 1627



hun
Gal
2
enta
3 de
hep
criti
Cor
3
jeck
duā
heir
Cor
c. 15.
Kuf
voca
est.
4
pro
mni
5.
que
orta
6
bus
inte

THESES I.



Dysenteria, si nominis *έντρονον* spectes, est nihil aliud, quàm mala constitutio, sive difficultas intestinorum: Derivatur enim à Græcâ voce *δύς*, quod significat malum, ac difficultatem, & *έντρονον*, hoc est, intestinum.

Unde Cœlius Aurelianus lib. 4. c. 6. voluit hunc affectum fuisse denominatum à difficultate officij, & Galenus 2. Meth. c. 2. & 6. de loc. aff. 2. à læsâ parte.

2. Latè autem & in genere vox Dysenteriaë quamvis cruentam intestinorum, sive alvi excretionem denotat, teste Gal. 3 de Sympt. caus. c. 2. Et sic accepta comprehendit fluxum hepaticum, & cæteras omnes cruentas alvi excretiones, sive criticae sint, sive symptomaticæ, quas prolixè etiam Holler. in Comment. c. de Dysent. prosequitur.

3. Strictè autem & in specie illam tantum cruentam dejectionem, quæ sensim in exiguâ quantitate cum assiduâ desidendi cupiditate, nec non torminibus, sive vehementissimo intestinorum dolore cruciat, significat. Hinc Cor. Cels. posterius symptoma respiciens, hanc speciem l. 4. c. 15. tormina intestinorum appellavit: Germanis die *Rothe Ruhr* / *Darmruhr* / *Blutruhr* / *Blutgang* / *das rote Wehe* / &c. vocatur: de quâ solummodò in præsentiarum agere animus est.

4. Oriuntur hæc & cætera omnia hujus Dysenteriaë symptomata ab ulcere, morbo unitatis solutæ, intestinorum omnium.

5. Est ergò propriè sic dicta Dysenteria dejectio alvi frequens & cruenta magno cum intestinorum dolore affligens, orta ab exulceratione intestinorum.

6. Dejectionis alvinae hi sunt gradus. Primò cum facibus & humore morbifero, polydædali pro naturâ suâ coloris, intestinorum mucus, quo omnia intestina sede internâ im-

Nomen.

Dysenteria nostra.

Vera.

Morb. & subject.

Definitio.

Generatio.

buuntur, atq; ut Rhafes non ineptè dicebat, fistillum vasorum more invitrantur, & oblinuntur: dein ipsa crusta veteribus incognita, quâ interior intestinorum tunica obducitur, abstergitur, abraditur, & excernitur.

7. Secundus gradus est, cum ab humore magis exulcerante ex ipsâ membranosa substantiâ interior intestinorum tunica corraditur, cujus pelliculæ & fibræ dejectæ tenues membranarum rasuras referunt.

8. Tertius gradus consummatissimam Dysenteriam representans, est, cum altius penetrante & depalcente ulcere tunica media crassior & carnosior, quam alij carnem propriamq; intestini substantiam vocant, cum venulis egeritur, quamvis illa tunica sæpè lædatur, hæc illasâ.

9. Quibus postremis dejectionibus tantum, præsertim vero ultimæ, nunc quid tenuioris, nunc grumosi & fibrosi sanguinis à venarum exulceratione dependentis, imò etiam per intervalla, puris nonnihil est admistum. Intestinorum enim venæ omnes, quæ à portæ trunco & ramo mesenterico descendunt, ita divaricantur, ut rectâ non hient earum oscula ad cavitates intestinorum; sed obliquo ductu inter duas tunicas feruntur.

10. Errorem foverunt hæctenus multi Medicorum, quem nullus non lanionum monstraret digito, qui crediderunt in principio Dysenterix à materiâ peccante pinguedinem sive adipem ex intestinis abradj, & per alvum evacuari. Nam pinguedo hæc non intus, sed extra intestinis à naturâ est concessa, quemadmodum ipsa *de Trisica* demonstrat.

*Differen-
tia.*

11. Hujus affectus differentix variæ sunt: quarum I. sumitur à morbi essentia: Sic alia Dysenteria est Sporadica, sive Privata, alia Epidemica; quæ vel Pestilentialis & maligna vel leviter saltem contagiosa. Quarum illa multis exitio est, hæc licet plurimos invadat, paucos tamen è medio tollit.

12. Sub privatâ comprehenditur Dysenteria, quæ à purgantibus vel & alimentis acrioribus causatur. Ad Contagiosam spectat, quæ à menstrui sanguinis impuritate in variolis & morbillis nonnunquam lancinat.

13. 2. à Causis, ijsq; vel externis, quam ab alimentis vel medicamentis alijsq; acris oriri jam diximus, vel internis, de quibus paulò post.

14. 3. A symptomatum varietate & vehementiâ: sic n. alia est cum febre, alia sine febre: alia cum vehementissimo dolore, alia cum remissiori: alia periculosa, alia extra periculum: alia cum pervigilio, alia non.

15. 4. A tempore, alia est in fieri, alia facta, sive absoluta, de quibus modò dictum: alia declinans, si nimirum appetitus redeat, excretio tardet, excreta appareant pauciora & crassiora, & sanguis paucior egeratur.

16. 5. A loco affecto. Ulcus enim est vel in intestinis gracilibus sive tenuibus, vel crassis sive amplis.

17. Cum quâ coincidit 6. Ratione situs, quæ in superioribus intestinis, vel in inferioribus consistit. Utraque ex doloris loco cognoscitur. Hic enim supra vel circa umbilicum apparens, superiora intestina ulcus habere indigitat: infra umbilicum se prodens inferiora laborare demonstrat.

18. Qui vero Dysenteriam gracilium intestinorum superiores, crassorum inferiorem statuunt, nã illi contra *avb.*

avb. pugnant. Non enim in homine tenuia intestina superiores ventris locum, crassa inferiorem occupant: Sed utraq; partim infra, partim supra umbilicum sita sunt: Imò plus est ex crassis supra umbilicum, & plus ex tenuibus infra.

19. Causa interna seu materialis Dysenteriae Gal. 6. de loc.

aff. 2. 3. aph. 12. acris & mordax humor statuitur: quippe qui ab initio abstergere & abradere, dein post temporis intervallum exulcerare intestina valet, cui insuper juncta est præternaturalis caliditas. Utraq; vero qualitas eidem vel naturam inest, vel per putredinem, aut causam aliam introducitur.

20. Intelligimus autem omnis generis erodentes humores, sive à toto, sive ab aliquâ corporis parte ad intestina confluant, sive in ipsis intestinis generentur, quales sunt bilis 7. Aph. 6. melancholia. 4. Aph. 24. pituita. 6. Aph. 2. & inde existens Catarrhus 3. Aph. 12.

21. Plerumque calidior epatis constitutio viciosos hosce humo-

Causa materialis.

humores parit vel acuit. Cui si accedat cerebri humiditas, nec non ventriculi frigiditas, ex Catarrhi falsi proventu Dysenteria frequentius enascetur.

22. Neque sufficit, ut humores qualitatem acrem mordacem ac calidam obtineant: sed auctore Gal. 3. Aph. 12. hac occasione tantum vel maxime Dysenteriam generabunt, cum propter lentorem (proprium, vel ab aliorum humorum mixturâ ortum) tenaciter intestinis adhærebunt, & in illis cessabunt, adeoque eadem diutius labefactabunt, ac malè afficient: Alioquin corrosivi istiusmodi humores tali visciditate destituti, diarrhæam potius, quàm Dysenteriam prodigunt, nisi forte tantam spirent acrimoniam, ut statim, primo ac levi contactu exulcerare valeant.

23. Porro cum agens non agat nisi in patiens dispositum, teste Philof. dubium non est, quin hi ipsi pravi humores tanto facilius hunc morbum excitaturi sint, si præternaturalem subiecti *διάθεσιν*, utpote quæ non tantum rationem causæ sine quâ non, sed & antecedentis habet, inveniunt.

24. Disponuntur autem intestina & prona fiunt ad majorem facilioremque humoris peccantis receptionem, cum vel justo calidiora, vel imbecillitatem *ἀμφοτέρω* aut *ἰσχυρότερον* obtinent. Etenim partium calor fluxionis est causa auctore Gal. 1. 13. Meth. med. c. 5. & supervacanea, eodem iudice Com. aph. 33. l. 4. & com. Aph. 55. lib. 6. à membris robustioribus expelluntur, & ad partes imbecilliores procumbunt, quâ ratione etiam quidam Arthritici, quidam Ophthalmici, alij hydropici, alij scorbutici, alij alijs adfectibus obnoxij redduntur.

25. Hippocrates 3. Aph. 11. Dysenteriam potissimum mulieribus & viris naturâ humidioribus accidere ait.

Causa externa.

26. Causarum procatarricarum, sive remotarum & externarum Dysenteria privata, aliæ internas generant & movent, aliæ præternaturali subiecti dispositioni ansam præbent.

27. Generatim illegitimus sex rerum nonnaturalium usus utramque paginam complet. In primis multum possunt, quæ

quæ calidos acresque humores gignere ac augere, & naturâ suâ fluxiones concitare solent, ut omnia amara, acria, fassa, acida, pinguia, calida, dulcia, alvum lubricantia & bilem generantia, vina recentia, cerevisia recens, cruda & saculenta, nec non aqua per canales plumbeos fluens, ut docet Gal. 9. de simpl. med. c. de metall. vel in quâ hirudines stabulantur, aut ranarum semen innatat, ut experientia testatur.

28. His addendi cibi mali succi, facileque putrescentes, copiosè devorati, cujus farinae sunt fructus plerique crudi & vermiculosi, aut situ obstiti, præsertim poma, avellanæ, rapæ, brassica, quæ per hyemem sub terrâ semiputruit, deniq; alimenta quævis plus justo acria & copiosius sumta.

29. Causæ Dysenteria à purgantibus sunt cathartica nonnulla vehementiora, vel sinistrè præparata, nec correctâ, vel minus decenter exhibita. Dysenteriam à scammonio describit Amatus Lusitanus Com. ad c. 171. lib. 4. Diosc. à Mercurio præcipitato Palmarius lib de hydrarg. c. 6. Lethalem à colocynthidis usu refert Platerus in observ. l. 3. p. 805.

30. Hanc dubio procul respicere videntur filij prophetae 4. Reg. 4. à colocynthidis esu in hæc verba prorumpentes: vir DEI, mors in ollâ. Ab antimonio & præsertim vitro ejus, ab imperitis tonsoribus *ἀλγως* exhibitio Dysenteria notiores sunt, quàm ut plurimum autoritate confirmari debeant.

31. Causæ procatarticae Dysenteria contagiosa sunt, annonæ caritas, alimenta viciosa, tum alia, tum supra proposita, quibus multi utuntur, maximè vero aeris in qualitatibus manifestis supra modum alteratio, continuatâ dierum serie perseverans. Hinc scribit Hipp. 3. Aph. 11. si hyems sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluviosum & australe, æstate necesse est Dysenterias fieri. Et contra Aph. 13. ait. si hyems australis tepens & pluviosa fuerit, ver siccum & aquilonium, in vere easdem fieri, potissimùm à Catarrho.

32. Huic Hippocratis sententiæ & observationi adstipulatur ratio: Aer enim quò calidior, eò magis adurit, ac in-
pitui.

Dysenteria
à
purganti-
bus.

pituosis hominibus putredinem excitat, successuq; temporis ulcus intestinorum procreat: sic aer justo frigidior corpus nostrum constipando, & cerebrum veluti manu comprimendo, pituitam ad intestina protrudit, quæ propter circumvolutiones & rugas intestinorum ibi moratur, & diuturnitate temporis putredinem contrahit, falsaq; acrimoniâ suâ itidem ulcus parit.

33. Schenckius l. 6. observ. medic. refert Anno Christi 1583. in fine æstatis calidissimæ & siccissimæ contagiosam Dysenteriam passim invaluisse, & ad ultimum usq; autumnum ægros lancinasse. Imprimis hæc se prodere consuevit, si æstatem justo calidiorẽ & sicciorẽ insequatur autumnus humidus & australis. Sub autumno enim, teste Hipp. 3. Aph. 22. pleraq; Dysenteria ingruere solent.

34. Inficere etiam solet per contagium conversatio, & locus secretus Dysenterici visitatus, uti & vesica ac canalis, per quem clysteres ægris in anum injiciuntur, nec non aeris ab excrementis Dysentericis infecti attractio, quemadmodum sæpius observatum est.

35. Epidemicæ pestilentialis causa est aer, non tantum quoad qualitates manifestas alteratus, sed occultâ insuper malignitate imbutus, adeoq; *τὸ θεῖον* Hipp. cœlitus demissum spirans, & astralem impressionem seu morbum, qui elementarium qualitatum noxas longè superet, inferens, ab inauspicato siderum positu, ut conjunctione magnorum Planetarum, Lunæ & Solis eclipsi, & id genus alijs cæli influentij proveniens.

36. Signa Diagnostica th. 3. 5. 6. 7. 8. 9. sunt tradita.

Signa.

37. Signa distinctiva hæc sunt. Differt Dysenteria à fluxu hepatico & alijs cruentis dejectionibus, quod in his solus sanguis excernatur: In Dysenteria verò alijs quoq; humores. Præterea in illis nulla apparent ramenta, excretiones sunt copiosiores plerumq; sine dolore: In Dysenteria verò ramenta apparent, excretiones sunt pauciores quidem, semper autem dolorificæ. Differt porro à diarrhæâ, lienteria, & cœliacâ passione, quod in his neq; adsit ulcus intestinorum, neq;

neque aliquid sanguinis exœternatur, quæ tamen contingunt
in verâ Dyſſenteria.

38. Signa internarû cauſarû quamvis ex multis rebus cor-
pori accidentibus depromi queant, ut generalis medendi me-
thodus docet, à colore tamen excrementorû hoc loco evidẽ-
tiſſima ſigna deſumuntur. Hæc enim ſi flavo colore tingun-
tur, bilis peccat, ſi ſunt nigra, Melancholia; ſi aquoſa & albo
colore tincta, pituita. Sed cave ne pituita & puris ſimilitu-
dine decipiaris: quod ut avertas, jube ægrum deijcere in ma-
tulam aquâ tepidâ ſemiplenam, ſi quod excernitur, petat fun-
dum, puſ eſt: Nam phlegma, quia flatulentum & viſcidum,
innatat: puſ, aduſtione grave, deprimitur: aut in prunas ex-
cretum projiciatur; Pituita enim ut puſ non fatet. Item,
puris color eſt cineritiuſ, pituita albuſ: & præterea pituita,
quia lenta & viſcida non patitur ſe dividi, puris autem diviſi
partes à ſe invicem abſcedunt, quod & in alijs morbis, ut pul-
monis, uteri, renum & veſicæ diligenter obſervandum monet
Riolanus c. 4. m. m. gener.

39. Externarum cauſarum ſigna ex relatione ægri & aſtan-
tium innoteſcent.

40. Prognoftica ſunt: Dyſſenteria omniſ eſt periculoſa:
In primis exitioſa eſt, contagioſa & peſtilentialiſ, nec non
in quâ excreta fetida, maleque colorata cum nauſcâ & lien-
teria exeunt.

41. Pernicioſa etiam quæ gravidis advenit. Etenim mu-
lieri utero gerenti, ſi teneſmuſ ſupervenerit; abortum facit.
Hipp. 7. aph. 27.

42. A flavâ bile, quæ pullulat, facilè curatur; à putre-
ſcente pituitâ difficiliuſ: omniuſ difficultiſimè, quæ ab atrâ bile
provenit: imò hæc ut plurimûm inſanabilis eſt, & lethaliſ.
Hipp. 4. aph. 24. cætera vide ap. Præcticoſ.

43. Indicationeſ curandi deſumuntur à Cauſâ, morbo,
ſymptomatibuſ (non quatenuſ ſymptomata, ſed quatenuſ
habent rationem cauſæ) & parte affectâ. Si methodi me-
dendi legibuſ inſiſtere per ſymptomata licet, priuſ cauſam
morbi-

*Prognof-
tica.*

*Indicatio-
neſ.*

B

morbi-

morbificam expugnabimus, dein morbo & parti affectæ præspiciemus.

44. Causa licet varia esse possit, cum tamen eadem plurimum passim in corpore luxuriare, & ab alijs partibus ad intestina confluere soleat, mox *principio* universalibus, v. g. cathartici & venæ sectione, est educenda. 2. Acrimonia ac fervorem ipsius, quæ superest & exulcerationē parit, corrigemus. Tandem 3. fluentem adhuc humorem ad partem affectam, ab eadem phlebotomiâ, cucurbitulis, ligaturis partium extremarum, sudoriferis, &c. avertemus. Fluxum vero per vomitum urinasque derivabimus, reliquumque evacuabimus.

45. A morbo, qui est ulcus, oritur indicatio detergendi, exiccandi, consolidandi & cicatricem inducendi.

46. A symptomatibus, ut dolore, fluxu nimio, virium prostratione, & vigilijs ducitur indicatio dolorem leniendi & vires restaurandi, somnum conciliandi.

47. A parte affectâ desumitur indicatio calidam ejus in temperiem emendandi, substantiam corroborandi.

48. Practici hîc etiam animadversione dignum æstimant ante particularium remediiorum intestinis destinandorum usum probè considerare, in superioribusne an inferioribus intestinis ulcus consistat: Quod enim inferiora intestina occupat, commodius medicamentis per clysteres (de quibus in primis præ alijs egerunt Hollerius in prax. & Bauhinus l. d. comp. med.) injectis curari perhibent, quod superiora & ventriculo viciniora obsidet, per epota medicamenta aut alia aptius convalescere existimant, eò quod hoc modò administrata pharmaca magis integris viribus ad locum affectum pertingant.

49. Cœterùm quamvis hæc *εγχειρησις* suâ non careat utilitate: experientia tamen, quamcunq; Dysenteriam solè remedijs per os propinatis pro voto curatam fuisse, ostendit.

50. Clysteres apprimè conducunt, quoties æger neque medicamenta, neque alimenta oretenus haurire potest, quod

ferè ea, quæ per palatum deglutiuntur, etiam per clysteres injiciantur, minori tamen copiâ: Clysteris liquor non superet unc. 7. vel 8 in majoribus, quò tanto diutius retineatur, atque melius juvet; nisi remotius intestinum affectum, majorem quantitatem desideret.

51. His scopis satisfaciemus tribus usitatis præsijs, petitis ex triplici fonte, Diætetico, Chirurgico, & Pharmaceutico.

52. Primò occurrit Diæta, à cujus vitio ut malum hoc oritur, ita hujus solius beneficio sæpè, si ritè & tempestivè observetur, abigitur.

Diæta.

53. Consistit autem in sex rebus nonnaturalibus: Vitetur igitur patiens aerem ex Austro venientem, prospiciatq; ut aer non tantum sit temperatus, sed etiam, prout morbi & causæ ratio postulat, ad temperiem convenientem reducat.

54. Maximè verò in Epidemicâ Dysenteriâ aeris qualitas est corrigenda, tum odore ligni Juniperini incensi, tum alijs odoratis, quibus olim Hippocrates ipsam pestem ab Atheniensibus, totâq; Græciâ fugavit, cum immortalis nominis sui famâ.

55. Imò vitanda hîc etiam, quantum Christiana caritas concedit, decumbentium consuetudo, uti & loca, ubi dysentericæ excretiones sunt dejectæ, aut quorsum illarum odor (hic enim plurimos inficere solet) pertingere potest.

56. Nocent præterea tam animi quàm corporis motus; quamvis exercitia moderata præservationi conducant. Et sicuti vigiliæ obsunt, ita somnus quàm maximè prodest.

57. Victus ratio pro horum septentrionalium hominum naturâ paulò plenior concedi potest, & virium servandarum causâ jure postulatur. Cibusetiuchymus, facilisque concoctionis, ut natura conservetur: acres insuper ac mordaces calidosque humores corrigat, dolorem leniat, ulcus abstergat, fluxum alvi sistat, & denique aliquam vim emplasticam seu visciditatem habeat, ut pitifana hordeacea, vel potius cremor ejusdem: quo præstat avenatum, cujus solius

B

cre

crebriori usu plurimi restituti; sicuti & sequenti compositio
ac præparato lacte, ab Herc. Sax. in prælect. med. c. 20. de
scripto quod recipit lactis lib. 1. aq. plantaginis aut sonch.
unc. 6. sic ut mistura coquatur ad consumptionem medie
tatis.

58. Huc spectant pultes ex oryza, milio, amylo cum
lacte coctæ, quæ consolidant non aliter, ac jusculum gal
li veteris, nec non serum lactis simplex, vel quod à chalybe
vim trahit, modestè detergent.

59. Profunt etiam ova sorbilia, emulsio sem. 4. frig. maj.
non excort. cum decocto hordei vel avenæ parata, adjecto
sem. papav. alb. seorsim trito, cum dolor valdè urget: Caro
junior præsertim vituli aliquot scil. septimanarum, non
dierum, maximè quæ in pedibus reperitur, pulli gallinæ
perdicis, lepusculi.

60. Pisces concedi possunt saxatiles, gobio, perca ac
leata: piscium Bergensium extremitates sive caudæ, earum
que cutis, & ventriculi, vi suâ emplasticâ multis, præsertim
robustioribus, & illis, quæ talis cibus est consuetus, bene fe
cerunt.

61. Fugiendus piscium esus copiosior, olera nimium hu
meantia, anguillæ, caro suilla, acetum, acria, amara, salsa
pinguia, dulcia.

62. Conveniunt verò pyra, corna, cydonia, mespila, pru
na sylvestria, lactuca, acetosa, quæ strenuè putredini resistit,
cerasa acida, ribes, berberes condit. amygdalæ dulces,
Castanæ molles, & pressi copia lactis.

63. Si quid etiam malignitatis morbo subesse videtur,
caro citri, ac acidum ejus, ut & limonum, granatorum
saccharo attemperatum, utiliter cum pulv. cor. cerv. præpar.
coral. præp. aut magister. eorundem offeruntur.

64. Potus sit aq. hordei, vel hordei tosti decoctum, pau
co saccharo & tantillo cinamomi correctum, cerevisia probè
cocta & defæcata, non nimium lupulosa ac recens, cui
semper lamina panis tosti injiciatur; Vinum rubellum, re
nue

que, non acidum ex vetustate, præsertim in quo chalybs extinctus, aut pruna sylvestria infusa fuere.

65. Sequitur Chirurgia. Cum nemo Arabum venæsectionis mentionem faciat, digladiantur satis acriter inter se Medici de sanguinis missione, num scilicet sit secanda vena, mittendusve sanguis in Dysenteria, & utraq; pars suis non destituitur rationibus. Nos medio tutissimi euntes, pro resolutione hujus controversiæ profiteamur, distinctionem quandam adhibendam esse, & non temerè, neq; semper mittendum esse sanguinem.

66. Evacuandus autem erit, si Dysenteria sit in principio, revulsionis ac derivationis gratiâ, si ætas integra & vires permittant, si corpus sit plethoricum, si suppressa aliqua solennis evacuatio, si materia, quæ per alvum excernitur, quodammodo sanguinea ac biliosa, si adsit febris continua, aut inflammatio, aut intensa epatis caliditas, aut similes indicationes. Ubi hæc desunt abstinendum à venæ sectione.

67. Mittendus autem est sanguis non ex qualibet parte indifferenter, neq; mittendus unâ vice, ne vires ægri fatiscant; sed per *Ænegon* & per vices, ut major fiat revulsio, ex salvatellâ, hepaticâ, aut medianâ dextri lateris, non verò ex saphenâ, nisi sit suppressa evacuatio vel mensium vel hæmorrhoidum, eaq; copiâ, quæ vires non prosternat, sed sublevet & corpus ventilet.

68. In pueris & imbecillioribus, alijsque, qui phlebotomen perferre nolunt vel nequeunt, sufficit cucurbitula, venæ sectionis vicaria, cum & sine scarificatione, prout medico consultum videtur, manibus, brachijs, dorso, humeris applicata, vel frictio aspera, aut valida brachiorum ligatura ob revulsionem.

69. Pharmaceuticus fons suppeditat remedia, respicientia & causam, & morbum, & symptomata. Ratione causæ hinc inde in corpore fluctuantis, primò exhibenda purgantia mitiora parçâ dosi, indies semel vel bis, si consultum & vires ferant. Licet autè timore plenum sit, testante Avicennâ, ventrem solvere supra ventris solutionem, aut per locum

Venæ sectionio.

Pharmaceuticia.

affectum causam purgare; præstantius tamen est majorem humoris copiam paucioribus vicibus & subitâ evacuatione medicamento demere, quàm diuturniore & paulatim per se factâ, ventrem majori exulceratione afficere.

70. Purgantia itaque laudamus, quæ nonnihil astrictio- nis acceperunt, ut sunt mechoacanna, tamarindi, myrobal- om, cort. insuper etiam profunt rad. Cichor. condit. Syr. de Cich. cum rhab. Ros. solut. Singularem prærogativam habet rhabarbarum crudum non tostum, bis ter administra- tum, sic, ut principio dragm. i. præter propter dilutum sine expressione assumatur, dein expressio, hinc ipsa substantia, & tandem residuæ faces styptica exiccata ex convenienti vehi- culo hauriantur.

71. Nocent omnia validiora purgantia, nec non castia, agaricus, fol. senæ, turpet. & pill. omnes ad basin aloëtica.

72. Digestiva in hoc morbo locum non inveniunt: Nam turgente materiâ, quæ hic est molesta, non expectanda concoctio. Hipp. 1. Aph. 22.

73. Deposita per alvum peccantis humoris copia, calor & acrimonia illius, si superest, corrigenda venit: quando- quidem natura perferre nequit vitiosi hujus succi retractio- nem ad aliquam partem, citra ejus correctionem. Bilis ergo acrimonia corrigitur syrup. de cichor. portulac. ros. acetos. cum aq. plantag. cichor. & fragor. sine vino. Pituitæ, mucilagine ex sem. citon. & lini: in aq. beton. fenic. Melancholiæ mucilagine ex rad. borag. buglossæ in aq. veron.

74. Quin imò hisce remedijs fervidam pariter partis af- fectæ intemperiem emendabimus, fluxumque mitigabi- mus.

75. His peractis ad illa, quæ materiam à loco affecto avertunt, derivant ac evacuant, progredimur.

76. Nonnulli hîc emetica suadent, quibus nihil præ- stantius: siquidem non solum avertunt materiam, sed & evacuant. Hip. 6. aph. 15.

77. Emeticis succedunt Diuretica: præclare enim Heur- nius lib. 3. meth. c. 10. cum intestina ulcere obsessâ sunt, bilem
(quam

(quamvis ex lege naturæ eò ferri deberet) ad urinas deriva-
mus. Prævium hæc in re habemus ipsum Hippocratem, ut
pote qui 4. Aph. 83. ait, mictionem plurimam parvam de-
jectionem significare, derivatâ scil. ab alvo ad urinæ vias ma-
teriâ.

78. Inter Diuretica autem utiliter exhibentur, emulsio
sem. 4 frig. maj. nitrum præpar. simpl. vel cum saccharo
cando sec. artem crystallifatum & correctum, spir. ol. & sal
tartari, spir. terebinth. pulvis electri, & sal ejusdem vo-
latile.

79. Conferunt etiam Diaphoretica, maximè si Dysen-
teria sit maligna, aut materia à toto fluat ad intestina. Et
inter ea, theriaca recentior admirandum est auxilium, uti in
proprio corpore Dysenterico expertus est Solenander, &
multis confessus Conf. 9. sect. 4. Heurnius l. 3. meth. cap. 8.
& Bauhinus l. de comp. medicam. ex veteri theriacâ beneficio
gr. 7. opij recentem faciunt. Eiusdem, si non majoris, effica-
cia videtur mistura simplex, ex essentiâ theriacæ & spir. tar-
tari, qui etiam suas meretur laudes, alijsq; composita.

80. Cornu cervi ustum & præpar. aut Philosophicè calci-
natum potenter tam per habitum corporis, quàm urinas ma-
teriam peccantem educit.

81. His evacuationibus verò eo usque insistendum, quo
ad vires commodè ferunt. Hæc ubi aliquantulum infirmabun-
tur, fluxum enormem, sive à morbo, sive à medicamentis
ortum, astringentibus & incrassantibus, ijs præsertim, quæ
corroborant, protinus sistemus.

82. Alioquin in fluxu moderatiore, exclusâ per dicta
emunctoria morbi causâ, veram methodum continuabimus,
& ad ulceris curationem progrediemur.

83. Curatur autem illud primò extergentibus sine calo-
re & acrimoniâ, dein siccantibus, astringentibus & aggluti-
nantibus.

84. Deterfio & mundificatio ulceris ab influxâ mate-
riâ, pure & inhaerentibus sordibus, etsi maximâ ex parte
etiam per dicta purgantia peracta fuerit, absolvitur tamen
horum

horum usu cessante extergentibus propriè dictis. Horum benigniora supra in victus ratione sunt descripta.

85. Si verò ulcus sordidissimum sit, fortiora abstergentia, ut veronica, absynthium, centaureum cum melle rosæ & aliquà portijunculâ ungu. Apost. aut Ægyptiaci, medicam pollicentur, unâ cum sale tartari, nec non oleo ejusdem per manicam aut deliquium facto, teste Melichio in Dispensat. de ol. p. 188. uti & sale & spir. vitrioli, ac alumine, de quo vide Holler c. 43. de morb. inter.

86. Præstantior est aqua ex alumine leni igne citra acetum spirituum per alembicum ex arenâ prolecta: cui æquivaleret aqua viridis $\mu\lambda\acute{\upsilon}\tau\tau\eta\varsigma$, ex frumento & alijs longâ infusione parata, etiam ubi ab atrâ bile ulcus originem trahit & cancri naturam æmulatur: quin & spir. terebint. insigniter deterget, nec non consolidat.

87. Absterfo probè ulcere, quod ex saniei sordiumque paucitate, & sanguine pauciore egesto cognoscitur, superius ejusdem agglutinatio, & cicatrificatio per astringentia, sive incrassantia, nec non siccantia sine morsu, ac emplastica, ab solvenda.

88. Hæc inter primò occurrunt opiata: dein selectissima etiam & probatissima perhibentur sem. polygon. plantag. rosar. rubr. flor. & capita papaver, hyper. virga aurea, consolida major. bistorta, mastix, tragacant. myrobal. sem. acetos. millesfolium, veronica, præpar. margar. corall. rubr. (præsertim Syr. corall. Joh. Langij de scriptus l. 2. c. 49. Epistol. medicinal.) bol, Armen. terra Lemnia, vel Silesiaca sigillata, cornu cervi, lignum aloes & denique tormentilla, quæ quod peculiari vi torminibus intestinorum medeatur, sic dicitur.

89. Ex quibus decem posteriora pharmaca unâ cum theriacâ, misturâ simpl. spir. tartari, lap. bezoar. vero, & orientali, unícor. mineral. animal. & quæ aeris impuritatem emendare valent, etiam Dysentericæ Epidemicæ, maximè pestilentialis, malignitati occurrunt, mox in morbi principio, totoque ejusdem decursu, cæteris supra enumeratis medicamen-

camentis, unicuique indicationi inservientibus, addenda. Qui
volet consilium breve, attamen optimum, legere potest apud
Craconem trium Imperatorum Roman. medicum lib. 1. p.
m. 393.

90. Constat experiētiā, hæc constringentiā ac consoli-
dantiā, & in formā decocti, & pulveris, quā maximè esse
efficaciā. Elegans & in multis tam privatīs quam epidemicis
Dysenterijs, Poloniam & Pomeraniā occupantibus, pro-
batus est pulvis, qui recipit pulv. tragacant. unc. 1. sem. pa-
nis bis cocti unc. 3. capular. glandium unc. 2. sem. glandes
num. 4. nuc. muscat. tost. num. 8. rad. tormentil. unc.
3. mastichis unc. 1. cum dimid: sem. plantag. unc. 2. sem.
sanguisorb. unc. 2. sem. Cujus dosis est drach. 1. semel cot-
tidie, vel bis, per 6. 7. vel 8. dies, post rhabarbari usum, in ce-
revisiā tenuiori, in quā millefolium est decoctum, exhi-
benda.

91. Hoc enim vulnerariā hujus herbæ decoctum seor-
sim etiam, manè & vesperi, vel inter edendum, per dies ali-
quot epotum, ante biennium in Pomeraniā Dysenteriam
contagiosam malignamque non tantum curavit, sed & sa-
nos à contagio mirabiliter præservavit. Ut taceam, quod
eodem tempore in peste Pomeranicā, & paucis abhinc an-
nis in Borussia, egregia fuerit panacea, carbunculis etiam
& bubonibus apparentibus: cui non dissimiles vires habet.
Tragæa granorum actes à Quercet. descripta.

92. Ab internis ad topica accedimus astringentiā,
quocunque morbi tempore, excepto eo, quo purgatione
& deterfione utimur, toti ventri actu calidè applicanda. Et
sunt vel factuli in vino rubello calido, madefaciendi: vel
unguenta ex theriacā recent. ol. nuc. muscat. express. ol. cy-
don. hyper. mastic. myrtillor. rosar. cum pulv. rad. tor-
mentil. herb. millefol. bol. Armen. terræ sigill. & ceræ. q.
si fabricanda: vel emplastra, ut de crustā panis, diaphanic.

93. Cœterum astringentibus hisce internis & ex-
ternis

C

externis ilicò in initio, hic & consimilis fluxus neutiquam
fistendus est: quippe retinent styptica materiam morbi-
cam in corpore, quæ per has vel illas vias omninò est expul-
lenda, unde polydædala morborum facies actutum sub-
qui solet. Refert Holler. in schol. c. 43. pictorem ex subitani
fluxus dysenterici constipatione malignâ scabie ob-
tum esse.

94. Restant Symptomata, quæ inter nullum
quod magis patientem lancinet, quàm dolor: Hic itaq;
quoties vehementer urget, diligenti curâ mitigandus, me-
thodo licet posthabitâ, anodynis internis, externis, pre-
sertim si fluxus adsit symptomaticus & refractarius. Na-
& hic fluxionis est causa, docente Gal. l. 13. cap. 5. m. m.

95. Anodyna sunt Camomilla, malva, althæa, pla-
tago, sem. cydon. fl. verbasci, ol. verbasci, rosar. amygdæ
dulc. quibus nonnihil mucilaginis sem. cydon. vel psyl. li-
aut foenu - græci vel cort. inter. tiliæ fuerit admistum. Quo-
si verò his dolor non cedat, deveniendum erit ad nitrum
theriac. recentem, papav. laudanum opiat. & id genus alia
decenter supra vel infra administranda; quæ simul etiam
immodicis vigilijs & fluxibus succurrunt.

96. Coronidis loco partis affectæ diligens ratio
est habenda, suntq; danda ea, quæ refrigerant modestè, ut
dixi, quæque specificâ virtute intestina roborant: tum ut
ad naturalem, à quo deviarunt, statum omninò reducan-
tur, tum ne posthac denuo adeò promptè causas morbificas
recipiant, vel generent: quæ postrema maximam partem
& ex astringentium pharmacorum alimentorumque fami-
liâ desumuntur, & passim ex practicis addisci possunt.

*Præserva-
tio.*

97. Quod ad præsertionem Dysentericæ Epide-
micæ attinet, cum de sententiâ Gal. l. 4. de san. tuend. c. 1.
instantis morbi cavendi, & ejus, qui jam occupavit, sub-
movendi similis sit ratio, ea ex curatione sufficienter in-
notescet.

Pro

98. Prodest imprimis vitare & ægri conversatio-
nem & loca, ubi excretiones dysentericæ sunt abjectæ, illa
verò quæ intestina roborant cum aliquâ astrictione, ut
conserv. rosar. cydoniata, nuc muscat, quæq; malignam ac-
ris qualitatem emendant, acceptare.

99. Dysenteriam à purgantibus generaliter hoc
pacto curabimus. Initiò nisi vires labascant, hypercathar-
sis nullatenus est sistenda, sed minuenda quadantenus, fer-
vorque & acrimonia purgantium refrigerantibus, anody-
nis, & acrimoniam contemperantibus, ut sero lactis, ptisa-
nâ, avenato, emulsione sem. 4. frig. maj. cum sem. papav. &
amygd. nec non aq. rosar. est corrigenda, qualia & ex ali-
mentis acrioribus enatæ congruunt dysenteria.

100. Postquam pharmacum maximâ ex parte per-
alvum est dejectum, residua vis prorsus compescatur, &
impetus nimius, ac catarrhops ruentis humoris, in peri-
pheriam à centro revellentibus sudoriferis, præsertim the-
riacâ recentiori (quæ quod deleteriam cathartorum fa-
cultatem infringat ab Heurnio l. 3. meth. cap 8. hic de me-
liori nota commendatur) nec non vinculis, & lotione ma-
nuum ac brachiorum in aquâ calida, aut cucurbitulis supe-
rioribus partibus absq; incisione appositis, sistatur.

101. Hinc ad astringentia properandum, si fluxus
adhuc sit contumax; quæ inter Matthiolus corticem sive
cuticulam intimam, quæ medullam castanearum obteggit,
coctam in aquâ, pro miro & sæpius probato experimento
habet: quam facultatem & avellanarum majorum membra-
mis sunt qui tribuunt.

102. Nec inutiliter assumuntur decoctum castanea-
rum integr. Caputum rosar. cydoniata: quin & profunt
focus ventriculi & hepatis, ex corroborantibus & astrin-
gentibus, emplastr. de crustâ panis ventri applicatum, aer
temperatus &c.

103. Quibus omnibus devictis, extrema & certif-
sima salus in hoc casu etiam ex narcoticis peti solet, Po-
stremo

*Dysent. à
purgant.*

stremo ulcus si quod residuum, dicto more totaliter conso-
lidandum.

104. In specie, quæ unicuique cathartico à pecu-
liari *ἰδιουχρησία* opitulentur, passim apud medicos le-
gere est. Nobis tantum pro tempore de hac materiâ de-
properasse sufficiat.

Corollaria.

1. *Plusquam Medicafuit correctio colocyn-
thidis per farinam 4. Reg. 4. à Prophetâ insti-
tuta.*

2. *Idem medicamentum chalybeatum po-
tentissimè, siue in gradu excellenti, & fluxum
sistere & obstructions deploratas aperire ne-
quit.*

3. *Pc. est autem hæc & illa virtus per legitimi-
mam *ἐνχρησιον* seorsim erui.*

4. *Ex Martis crocis, sic dictis, quod colo-
re crocum Orientalem vegetabilem represen-
tent, qui acrimoniam aliquam de se spargunt
validius aperiunt, insipidi constringunt.*

5. *Astringentes rectissimè parantur ex li-
maturâ ferri, vel chalybis, igne vehementiori in
crucibulo calcinatâ, donec non tantum rubu-
scat, sed & pulvis ex se gravissimus & crassis-
simus, tenuissimam siue volatilem substan-
tiam, quæ aqua innatet, acquirat: Aperient*

tes, detergentes, ac laxantes igne fortiori non
sunt urgendi.

6. Elegans & subtilissimus aperiens cro-
cus, beneficio spir. vitrioli vel sulphuris, è cha-
lybe elicitur, hinc quoq; in Dysenteriâ non inu-
tilis.

7. Audiendi non sunt, qui pro croco
Martis quacunq; ratione preparato, ferrili-
maturam, nullâ unctione aut ablutione altera-
tam exhibent, bancq; illo non tantum efficio-
rem, sed & tutiorem, & in cachexiâ virginum
curandâ convenientiorem asserunt: aut qui
croco Martis ferri rubiginem simplicem prese-
runt.

8. Rubigo, à nonnullis etiam inter crocos
Martis relata, quâ Telephum, Mysinorum
regem, ab Achille sauciatum, sanatum scri-
bunt, & potenter constringit, ceu Ren. l. 2. de
mat. med. sect. 3. cap. 7. fatetur, & quemad-
modum Jul. Casa. Claud. in append. tract. de
ingressu ad infirmos scribit, ab infarctu libe-
rat.

9. Chalybs, si Mercato l. 2. de uteri mor-
bis c. 6. & 18. & l. 2. de recto praesidiorum usu
c. 7. credimus, tutior ferro, & infusio ejusdem
ac forma potabilis, substantiâ, agris infirmiori-
bus & delicatioribus.

10. Illa hâc, & infusus chalybs, secundum
Ful. Cas. Claud. extincto efficacior in aperiendo:
sicuti solidior chalybis vulgariter preparata
forma, ob virium omnium conspirationem
tâm astringit, quàm aperit, purgat & deterget.

11. Id quod etiam praestat chalybs ignita
& extinctus.

12. Chalybs aperiens non utiq; rectè Arabum
consilio cum aceto preparatur.

13. In usu pulveris hujus chalybis preparati,
non opus est miscere, quia calorem ventriculi
excitant, & augent: neq; omninò & semper
necessarium est, ut pleriq; volunt, ante vel
post ejus assumptionem exercitio vacare.

14. Hic assumptus per alvum vicissim
excerni debet.

15. Quod si 4. vel 5. die ab assumptione
non redeat per alvum, natura adjuvanda &
chalybs educendus clysteribus, alijsq; lenientibus,
ac aperientibus. Vide Ful. Cas. Claud.

16. Quod si non tantùm per alvum exitum
moliatur, sed & praeterea virtute ejus, singulis
vel alternis diebus, materia quaedam crassa
& nigra per sedes dejiciatur, (quod à tertiâ
vel quartâ dosi pulveris sui cachectici continuò
exhibi-

exhibiti, cuius basis est chalybs, primò eveni-
re, ac dein ex continuato ejusdem usu, continuo
usq; ad perfectæ sanitatis terminum contingere
Quercetanus in pharm. gloriatur) ejusmodi
excretio, tantum abest ut sisti, ut potius omni
conatu promoveri debeat, quousq; secundum
naturam, & cum euphoria fit, donec suâ spon-
te cesset.

17. Nec vomitus nonnunquam à Mercurio,
qui chalybi inest, proveniens, malus, quam-
diu intra naturæ limites continetur.

Soli Deo gloria.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Soli Deo gloria.



